



PODAGRÆ ENCOMIUM.

INGRATI hominis officium nēdum immemoris esse existimarem si vel eorum quōrum beneficio profecerim obliuiscerem, aut si beneficij memor quibusvis modis possem gratias non referrem. Nec quærendum puto in gratia compensanda quis auctor fuerit beneficij nec quo animo id contulerit in te, sed quantum per id profeceris: Et quam libenter fuerit impertitus. Nam de animo quid quæras cum vultum promptitudinē hilaritatemque dantis conspexeris? animum quidem solis Diis notum esse tam Philosophi quam Theologi constanter affirmant. Quod si coniecturis agendum sit, non nisi bono animo proficisci beneficia credendum est: atque eo magis cum qui dat in plures alios fuerit munificus: si rogatus ægrè dederit, si nemini non roganti dare voluerit, exitimandum est parum liberali animo dare voluisse. Quod ad personam attinet, nemo ut dici solet bonus est omnibus nisi Deus. Ceteri quibusdam sunt boni, pluribus plerumque mali, ac contra Podagra pœnitique bona, paucis mala est & grauis, tum verò liberalis atque munifica sponteque accedit ad homines, quo fit ut tum nemo simpliciter dici possit bonus aut malus, sed in collatione muneris talis sit habendus, Podagra omni ratione bona dici debeat. Et cum malos eos credere soleamus qui prima fronte iucunda offerunt, tegunt quæ nocent; & hoc nomine rursus laudanda illa venit quæ sub mali specie nos aggreditur, quicquid tegit quicquid latitat sub veste bonum est atque commodum. Non eo laudare velim Podagram quò cætera solent laudari mala mortalium, tanquam his ipsis iustæ ab illis exigantur pœnæ. Sic enim & mors & morbi & tyranni laudari solent, sed non est hæc illorum laus, veritum potius accusatio mortalis generis. Sicut homines suo arbitrio ingrati, scelesti, impij, scelerati, inuisti & omnino improbi, nil ad laudem Podagræ tam turpis & abominanda causa prodesse potest. Non probabo pœnam quam odero, & quam si ego etiam immerito subire ex eorum tamen genere sum qui eam subierunt. Non est hoc augmentum paradoxum, non ostentatio facundiæ aut ingenij, quorum vnum in me minus est quam mediocre, alteri conscius sum nunquam operam nauasse. Male laudantur ea quæ iustè laudari non queunt, velut stultitia, Calucium, Quartana, in quibus tanto plus elucet Rhetoris eloquentia eo in argumento leuitas maior deprehenditur: Oratio inanis & vndique fides ac veritas historię desideratur. Est Podagra quæ se ab ini-

tio ostendit ac probat, adeo ut sine verecundia prætermitti laus eius non possit; dubiumque facit an honestius ac præstantius sit de illa verba facere, an turpius & iniurius illaudatam cum tot meritis tantaque gloria sinere. Quod si nihil esset mali quod dignum laude foret, certe Podagram laudare non auderem; nunc video tot esse mala laude digna vt laudare Podagram illis omnibus multo mitiorem turpe videri non possit. Etenim menses qui fluunt mulieribus scedi & à quibus illa adeo consistantur, partus, dentium ortus, veneranda canities omnia mala sunt *ἐκ τῆς ἀκαθαρσίας τῆς αἰσθητικῆς* & tamen quod plures ab illis bene se habent laudem merentur. Obiicies quod hi ex ordine naturæ sunt, Podagra morbus qui casu aduenit. At nec familiaria adeo exanthemata ea illa rubra, rotunda, parua, varijs similia olim fuisse credo quæ à solis Arabibus sunt descripta. Quæ nunc Variolas à Varis vulgus appellat ac morbillos nescio qua ratione & tamen his purgari sanguinem & meliorem fieri corporis habitum constat. Sunt timores, sunt dolores qui nos commonefaciunt vitæ melius traducendæ. Desflorata virgo dolet, hoc casu accidit, & tamen laude dignum habetur. Si nulla est imbecillitas, si nullus est dolor bonus laudandusque, non inficior Podagram non esse laudandam sed postquam tota vita nostra voluptatem habet in dolore repositam, edendi in fame, bibendi in siti, venereorum in pruritu, iam, hoc credo me obtinuisse non esse toto generè Podagram illaudabilem, admittique iure posse vt partes etiam illa suas tueatur. Non inuenit ad hanc vsque diem qui illam laudauerit? an ob id laudari non meretur etiam si à nemine laudata sit? Quot res, quot viri illustres præcone caruerunt? Quot morbi mala insanjæ in contemptum bonorum laudata sunt? Nulla pestis *ἡ γυναικεία* suo caruit. An ideo augenda esset iniuria quia facta sit? Quamquam nec defuerit egregius laudator, & qui etiam Deos Deasque laudare consueuerit; Lucianus ille Samosathensis Vir acer magnæque eruditionis, cuius exemplo moueor non emulatione ducor. Etenim velut in omnibus rebus egregijs nullus orator tam oculatus esse potest tam præclara arte instructus vt rei dignitatem facundiâ æquare possit, ita in laudando Podagram semper aliquid deesse necesse est, tum verò id magis contigit quod raro oratores aut sperant in arduis, aut studium in humilibus rebus adhibent. Neque enim vel nos hanc prouinciam aggredimur quòd pares laudes pro dignitate eius

dicere posse speremus, sed quod nostris laboribus facundiores ad hoc munus incitari debere credamus. Vnumquenque enim in certamen voco non victoriæ spe sed ut victus sæpe gloriari possim tanti certaminis, tam laudabilis operæ auctor fuisse. Vtinam reuiuiscerent illi Cicerones, Hortensij, Cottæ, Coruini, negotium pro dignitate susceperunt & splendide illustrati. Et enim plurimum refert in rebus etiam pulcherrimis quomodo quidque dicatur, ornatur, amplificetur, aut excidat & propriis laudibus fraudetur? Nihil est tam præstans quod vitio orationis contemptum non euadat, imo odiosum; optabat Alexander magnus Homerum laudatorem, maiorque etiam nunc gloria est Vlyssis atque Achillis qui paruis in oppidis imperarunt, qui cum tota Græcia vix decem in annis vrbe vna potiti sunt quam ipse Alexander qui in totidem annis solus orbem totum occupauit. Ergo si non pro magnitudine aut dignitate laudem Podagræ tractauero, merito illa doleat quæ tam siccum & frigidum laudatorem omnique facundia expertem malo Fato suo nacta sit illi non imputetur, cuius voces quotidie ad astra vsque feruntur. Verum ne amplius ipsam rem differam, eius historiam narrare simpliciter decreui: Nam

Ornari res ipsa negat contenta doceri.

Omnes fatentur illam inter suas contribulles principatum tenere, dico chiragram, arthritim, ischiam, mentagram. Ut quod ad nobilitatem attinet omnium illa sit præstantissima. Quid dicam illius affines Nephritim, colum, regiumque morbum & socios febrem, abscessus, omnium hæc dux est atque ad illam omnes referuntur. Nemo Podagricum arthritide aut chiragra aut coxendice teneri dicit, at si quis horum vno laborauerit, Podagra laborare illum dicunt. Quinimo quotquot morbi leues artus occupauerint ut nobilitentur, nomen Podagræ sibi assumunt; meti ab illa plurimum degenerent. Aded nobile est atque vulgatum hoc nomen ut & ægri patiendo & Medici curando eo se nobilitari putent. Neque verò ambizioso illa nomine delectata est. Non se cephalæam aut cardialgiam vel ophthalmiam nuncupauit, nec turpi etiam nomine coinquinata est quemadmodum mariscæ, fici, hæmorrhoides, tenesmi, à pedum nomine suum traxit humillima corporis parte, sed non sordida neque turpi aut foeda. De antiquitate nulli non nota Medico, & multo ante Hippocratem, atque vsque à Troianis temporibus nomine nobilitata suo quod adhuc è Græcia ipsa retinet non quod Latini pudeat sed quia antiquo magis gaudeat argumentum constantiæ suæ, libertatem & ingenuitatem semper professæ aperte inuadit vi quæ vult obtinet, nulli insidias molitur. Et cum maximis doloribus homines premat, neminem tamen occidit aut conuellit. Quin etiam in ipsis doloribus risum mouet. Ea sola spernit Medicinam ut Poëta:

Soluere nodosam nescit Medicina podagram.

Quinimo bellum indixit Medicis, multos etiam eorum conficitauit grauitur. Vnguenta spernit, medicamenta negligit emplastris irritauit, fomentis seuior sic nullum Medici-

næ argumentum timet: recedit atque accedit cum vult melius arbitrio subiecta. Non amuletis aut præcantationibus villis pellitur, imo ne dinorum quidem pene supplicationibus. Solus Deus eam depellere potest. Generosi animi res quæ imbellem non fatigat ætatem, nec pueros nec senes vltimos nec mulieres aut spadones, quicquid floret, quicquid robustum est aggreditur ac euerit; ossa ipsa loco mouet, debilitat robustissimos, neruos & vincula quatit, iuuenes solos prostermit, non minis terretur, non Machinis pellitur, non blandiciis delinitur. Quos inuadere propofuit inuadit, quibus insensa non est ab his perpetuo abstinet. Simili gloria cum Regibus, Cæsaribus, Pontificibus, potentibusque iuris ac sapientibus, ut vulgus existimat, pugnam init, pauperes rusticosque relinquit. Ingressitur aulas principum: Et eos qui proprias vxores filiosque fastidiunt illa rabida aggreditur, diesque ac noctes illis quantumcumque inuitis cum eis versatur. Depulsisque charissimis pignoribus veteribusque famulis,

Dormit & in pluma purpureaque thoro.

Vnguenta sentit, cantus ac citharas audit, mollia strata, puluini sericeï, inter aurum gemmas & pictas tabellas superba decumbit: Audit fabellas, degustat vina generosa deliciaresque cibos, afferuntur interitæ flores gratiosi, vestes variegatæ & quicquid ambitiosum à ciuibus vel ipsis regibus multorum spatio annorum congestum est. Quod si vera omnino sunt quæ de Telchinibus Lasciis Dæmonibus Platonici fabulantur, quos ferunt, in hominum corpora transferri, solos eos beatos esse crediderim qui cum Podagra ipsa domicilia corporum humanorum ingrediuntur. Namque cum Venere & Baccho & delicatioribus dapibus perpetuum fœdus contraxit adeoque beata est ut qui ea detinentur, præter dolorem ipsum beatam vitam ducere cogantur, neque enim illa steriles efficit sed ad Venerem aciores reddidit. Verum ad Philosophos venio, Arcefilaus ex eius fuit domesticis, tum Lycon Tharsensis alique, ut non credas Podagram etiam non philosophari. Nostra ætate Vir magnæ eruditionis Erasumus è cubili Podagræ quicquid legitiretur exprompsit. Sanior longè in morbo quam in bona valetudine. Quot pulcherrima monumenta eruditorum virorum Podagræ debemus? Sani operam damus negotiis, & si quid exit temere effutitur, ægri studiis ac contemplationi. Et quicquid emissum tunc fuerit lucernam sapit & modestum est atque castum. Sed hæc mittamus: de potentia agamus quæ in illa maxima est, sola enim Podagra totum inuadit hominem. Primum quidem pedes aggreditur, inde manus, genus, cubitos, suras, humores, dorsum, collum, mandibulas, denique etiam dentes. Sed neque lingue parcat. Et sunt quibus nasum inuasit atque distorsit, adeo in omnes corporis partes dominatur. Quid ergo huic simile? Febris vniuersum corpus apprehendit elephantiasisque tum hydrops atque icterus morbus, sed vniuersum dominatur: sola Podagra in singula membra imperium habet. Quid quod exollat homines, enervat, excarnificat, contorqueat crura, manusque minutæ in modum medullas

medullas depascitur, gibbos, alios repandos efficit. Vt verè sola nostri regina corporis dici possit. Sed mirum quiddam audi de illa. Intellexerat Medicos quosdam haud gregarios scripsisse posse eam hermodachylis atque Corallio depelli. Irata statim nescio qua arte seu casu ac bona ei fortuna contigit hos inimicos hostesque suos ita eliminavit ex orbe vt sola nomina eorum nobis reliquerit. Et coronopum quidem seu corallium audiuit omnes & hermodachylum, sed quid sint nemo docere potest. Neque illum laudari qui cum multis cucurbitulis laquentes in balneo benevolentium herbarum positos excantificabat: cum plus esset in medicina incommodi quam in morbo ipso. Quid profuit Agrippæ acceri feruidi balneum quo simul leuatus est dolore ac pedum usu? Quid Cæsari nostro medicamentum illud scilicet ac quasi superstitiosum è nigræ capræ sero cum ficulis lacte? Nonne præter id quod nihil contulit velut & reliqua omnia que illam arcerent solent auxilia vitam effecit breuiorem, atque tenuiores omnino illius vires? Quid fontes quos seu casu seu voluntate concluderis breui mortè afferunt? Quid ligni sancti decoctio, qui sarze Panlæ, quique Thermarum aquis gloriantur annos numerent, quibus vel curati vitam sanam degant aut superfluere incolumes, non est depellere morbum mitem vt lethalem excipias. Quid modo de me factura sit nescio quod eam depellere me posse iactauerim, forsân enim aut contemneret aut non curabit, postquam id præsidium adeo, in paucis experior, vt propter me ipsum solum illud inuenisse videar. Et si modo aduersum me seuiat non iure id egerit quandoquidem eam solum relegare quaesierim, non exturbare perpetuè è domo: nec alios docuerim. Irata sanè meritò fuit Guljelmo Budeo qui cum eam publicè conatus sit docere eliminare, ipsum auctorem ita concussit vt nil integrum ei reliquerit. Sed aliud est tueri partes suas suaque commoda procurare, aliud iactantia causa aut spe lucri alios id vt facere possint docere. Aliud est infestum hospitium aliquandiu detinere, ne adeo frequenter hos molestia afficiat, ratiùs vexet, aliud omnino è domo pellere & prorsus hospitio interdiceret. At fortes viros forsân aggredi non ausa est. Nil minus, vidimus ætate nostra Antonium Leuâ Alphorifumq; Anulum duo belli fulmina singularia prudentia fortitudineque tot claris gestis sic ab illa oblectos vt homines intelligerent eam nihil inaccessum relinquere. Et fulminum Iouis exemplo ardua quæque petere, concutere, quassareque. Quid aliud fuisse credendum est quod Herculem domuit, licet Poëta vlcera fuisse dicitent, neque enim voces illas adeo iratas protulisset, si malum in carnibus non venis atque artibus fuisset. Sed omittamus dubia quandoquidem propriis ac certis laudibus podagra contenta sit. Etenim sufficit vnum pro multis exemplum in Seuero Imperatore, qui cum fortissimus omnium fuerit orbemque occupauerit, ita ab ea victus est, vt perpetuè decumberet, & cui totus parebat orbis, is ipse podagræ seruebat, nec illa se vinci passa, nec is victus destitit esse terribilis. Hoc tamen ob id solum dixerim quod sciam nullè

eculeum nullasque fediculas tantis doloribus hominem afficere posse laminantur, trahuntur, distorquentur, punguntur, lacerantur, franguntur, eroduntur artus eorum qui podagra correpti sunt: nullum maius supplicium quod tam diuturnum ac graue sit Deos aut inferos tyrannos inferre posse crediderim, quam sint Podagræ dolores. Cessant vt grauius afficiant, intermittunt vt maiori impetu inuadant: mitigatur vt carnes quasi sanæ vberius excipiant malum, restaurantur ægri vt diutius ad pœnam sufficiant. Nec tamè quenquam perimit, ne ministra alterius scilicet mortis videatur, exiguus coli aut stomachi dolor interficit, quia hi mortis ministri sunt, vt Podagra sui iuris est sola, nec vlli parer, sed potius alij morbi obediunt ei. Etenim vbi illa fuerit omnes alios depellit morbos nec patitur corpus sibi addictum, suæ ditioni subiectum alteri parere aut quenquam admittere. Quot aliis seuius morbis ad viræ desperationem laborantes illius aduentu sanati sunt? Quid de illius pudicitia atque iustitia quæ cum vniuersum vt dixi inuadat corpus singulaque membra, nunquam tamè adeo irata est & sui oblita pudoris vt pudenda virorum aut foeminarum aut anum aggrediretur? Abstinet & à temperatis cum à nullo alio hominum genere seu sapientibus seu fortibus, seu opulentis ne nomen temulentia subeat aut procacis. Simili constantia à pauperibus abstinet, ne crudeliter videatur quæ victum miseris eriperet. Ergo iusta, mitis, fortis, sapiens, pudica generosa est podagra, seu contemptu eorum quos non inuadit seu dignitate illorum quos subigit. Visa etiam mihi aliquando è genere Flaminum Dialium quibus cum ad mortuos ingredi veteri instituto non liceret, huic nec ad mortuos nec morituros. Quod si cuique infensa, perdere illum statuat, abscedit traditurque febri aut orthopneæ aut attonito morbo iuglandos. Similique ratione irata quibusdam qui eam depellere tentarunt abscedens febri doloribusque ventriculi mandauit occidendos. Non illa turpis aut abominanda quemadmodum lepra, scabies, Indicusque morbus, non contagiosa vt phthisis, pestis, ophthalmia, sed ad eam securè vt vadant amici permittitur, quam illa nos vt ceteri morbi clanculum adoriatur aut nobis nescientibus. Ea nihil etiam fœdum aut molestum secum ducit, non fanem aut vlcera aut ruffim vel vomitus aut alui profusum, tota munda est & seipsa contenta. Quia etiam vnumquemque pro mensura debita premit. Validos vehementer ac diu, imbecillos, parum ac breui tempore affigit. Forsân obiciet, vilem esse podagram quod etiam canibus, iumentis, capris auiibusque plebisque in otio detentis, aut vltra modum saginatis adueniat. Vnde etiam qui eas aues edunt proniores sunt ad Podagræ morbum subeundum, sed non est hæc podagra quæ dolores certè nullos aut perexiguos exciet cuius inditio est quod nec queruntur nec clamant. Sed simile quippiam, nam omnibus rebus egregiis natura simile quid excogitauit, homini simiam, equo hypocampum, lyncem & vna in vitibus & in mari vt etiam in Epigrammate Bouëtii.

Vina marina semel vino permista bibenti.

Fertur magnum odium inducere posse meri.

Iam verò quantum affert commodi Podagra atque primum nobilitatis opinionem, nantque & si constet eum qui illam patitur esse rustici filium id coniectura omnes assequuntur falso creditum illius esse filium sed nobilis ac præpotentis viri spurioque genitum concubitu. Tum vero magis quod morbus is sit hæreditarius. Cupiatque podagra suos descendentes agnoscere. Cum verò podagrosus in aula venit, suspicitur ab omnibus etiam si sit nebulo. Habet enim nescio quid regium podagra, sedet cum alij stant, & equitat cum alij pedibus ambulant. Vidi Maximianum Stampam in mula ambulantem cui à pedibus erat Alfonsus Princeps, quia tum is valebat, illum podagra detinebat quod sedent huius beneficio apud principes alioquin eo profus indigni honore? Videas amicos qui accedunt quanta cum modestia se gerant? dicas assidere illos Cæsari aut Pontifici, quanta cum reuerentia tractent, tangant ægrotantes, & interrogentur. Quid de domesticis? non adeo leniter tonsor nouaculam ducit. Si quis tibi rusticus & agrestis inconprususque familiaris adsit podagroso adiiciatur vt seruiat, habebis per quam frugi comptisque moribus omnia tractantem belle ac leuiscule, dicas ælurum super plumam. Cogita quæ domicilia sibi elegerit, quomodo inhabitet? non nisi alta palatia prætorialque domos læta viuit inter amicos, & voluptates. Si quis ab amicis negligitur aut eum tanquam asperiores refugiunt, vbi podagra inuasit, iam omnes accurrunt. Si qui morbi eis iungantur febris, vigilæ, dolores alij, ea omnium sibi vendicat locum. Quid habet interrogantibus? respondent, podagra laborat, adeo podagræ nomen notum omnibus est celebre atque illustre. Sed qualem hominem facit podagra? Pium, castum, continentem, prudentem, vigilem, & si quando dormit, non vt reliqui morbi turbulenta facit insomnia. Nemo tam deorū est memor quam qui à podagræ doloribus detinetur, qui podagram patitur, obliuisci non potest, quod cæteris omnibus fere contingit, se esse mortalem à vino, carnibus, reliquisque edulitiis, à crapula à Venere tantum abstinere quantum putat se posse esse securum: Avertit à principe nostri particula cerebro scilicet ac sensibus & mente omnes prauas cogitationes, vanas spes, superfluos timores, incerta studia, non permittit in vanum opes profundere, cogitque vel inuitos commode, lautè & splendide etiam viuere.

Quanta verò commoda ex huiusmodi moderatione? quin etiam cum desperent ad alios accedere posse vt hi ad ipsos accedant, sunt mitiores, comes, blandi, mansueti, discuntque tractationem cum hominibus, nec vlli alij prudentiores podagrosos habentur. Quinimo eis committi solent Reipublicæ habentæ, habenturque consilia illorum, matura, prudentia, atque tuta. Vt quorum mens nullis fluctibus agitur, corpus à motibus quiescat, & anima superfluis cibis aut potibus minimè sit impedita. Iam verò & illius peculiaria explicemus dona (tria autem sunt præcipua) lapidem in vesica generari prohibet, & pulmonem vlcere

affici, præterea eum efficit vini gustum vt nemo melius vinorum percipiat suauitatem quam podagrosus. Mortem præterea lenissimam & somno simillimam parit, si cui à podagra succedente morbo mori contingat. Quid cum remittit se quales somni, quàm dulces, qualis indolentia & pruritus circa locum, parum à venerea distans voluptate. Hæc sola nos admonet studiis incumbendum quandoquidem ea sola dulcedo dolorum interuentu abrumpi nequeat. Sed præter ipsam sociorum iucunditatem quæ in omni morbo exigi solet, peculiari natura mouet & amicos & ægros vt iocis ac salibus plus delectentur ac valeant, vt venereis claudi, dolis gibbi, fraude strabi proptitudine & consilij celeritate calui, vt ridicula sit horum conuersatio. Addamne & illud quod podagrici motus Lunæ melius Astrologis norint, temporumque mutationes certius nautis. Hæc atque alia plura ac præstantiora de podagræ laudibus vt dici possunt. Sed videro quid contra possis obiicere, quod morbus tamen sit: atque quod melius omnino sit, vt etiã de cæteris, nõ habere quàm habere. Atque hoc est quod plerique iactant, pauculisque incomptis verbis tantam gloriam interturbare atque confundere posse sperant. Sed si modo ex hoc ipso maximè ostendero illius præstantiam ac laudem haud dubito conuictos fore illos qui quouis nomine non dignam fore existimabunt. Principio damnas eam quod morbus sit, quasi non tota vita nostra morbus sit aliquãto deterior quam podagra, nam si morbum vocas solum dolorem, certè podagra morbus erit, reliquum vitæ non ita morbo laborare dici potest at si morbum dixeris animi corporisque languorem secus longè, nam nunquam minus morbo laboramus quam cum podagra nos affligit, morbus est stulticia, voluptas, obliuio conditionis nostræ, iracundia, odium, dolor, quibus nos ipsos nostrosque leui vel nulla causa euertimus. At non morbus est melancholia? & tamen hac ipsa laborasse pluresque sapientes viros atque præstantes auctor est Aristoteles? quid Poëtæ, Vates, Sibyllæ? non ne omnes morbo laborarunt? & quamdiu in pretio fuerunt eo magis conflictati sunt, quapropter & paucis ex his longa vita perfrui contigit, melancholicus fuit Virgilius, insanus Lucretius, stultus Nalo, ebrius Horatius: quid tot commemorem? cum omnes insanierint breuifque vitæ fuerint. Si quid est in nobis diuinum iam maximè detegitur in morbis: tunc enim futura præuidemus, prudenter negotia disponimus, atque à perturbationibus animi liberi sumus. Podagra si temperantiæ iuncta sit, sensus reddit vegetes, firmam memoriam, succulentum corpus, valitudinem synceram, vitam longam, gustum purum, somnum tranquillum, animam suauem, lætas cogitationes, promptam ad studia sapientiæ mentem: nam cum alij morbi solent illam interturbare sola podagrâ adauget & exacuit.

Hoc verò illa habet præcipuum & incomparabile donum quod sola animum contendat iam assuetum obniti ad versus corporis acerbissimos dolores, vnde viget illius maxima fortitudo, atque constantia ac robur, quo corpus aduersus cætera incommoda omnia regat

ac gubernet. Nam, de illo solum quereris postquam de animi languore plus satis dictum est, at querebatur Plato, nimis se finiri bona valetudine, nisi enim ægro id corpore animo valere non potest, sed sit, vt dixi, contemptus animi, quarantur solum corporis bona, quantum tibi adimit podagra temporis? quantum te impedit à negotiis: certe si temperanter viuere velis parum aut nihil exigit: labores inanes & curas graues, vt si seruiendum sit tumultuosæ Reipub. si graui principi & moroso, si imprudenti amico, vnde nam melius sumitur excusatio quam à podagra? habet podagrosus maximam temporis partem in sua potestate, nulla honestior excusatio laboris quam à podagra, & si res tua agitur deseruit te dolor dicit. Sed hæc mittamus & de morbo agamus: quis est qui si in podagram non incidat deteriore morbo non labore? si oculo, qualis molestia? quale periculum? quantum impedimenti? si aures, periclitaris de vita, de auditu: si dente, nec dormire nec edere potes: si tussi, periclitaris de sputo sanguinis: si scabiæ fœdus es omnes consuetudinem tuam fugiunt: si febre certas de vita: si coli vel ventriculi dolore, præter id quod molestissima sunt, magno in discrimine versaris, nephritis acerbissimos habet dolores, & periculum vitæ affert, regius morbus hydropem, hydrops mortem parit. Cordis palpitatio similis est poenæ infernorum, coxendicis dolor podagræ doloribus non minor est claudosque reddit: comitialis ad singula momenta horrendus & non sine vitæ discrimine: hernia nunquam sanatur, nunquam fideliter intermittit. Quid est ergo quod optare possis magis quam podagram, si non speres te perpetuo futurum incolumem? quæ spes quam fallax sit intelliges facile si singulorum vitam inquiras, qui vel quadragesimum annum excefferint; quorum quisque enim sine labe deterrima est: sed latent talia præter Medicos; ob id plurimi immunès à morbi labe populi iudicio sunt, vere autem quam paucissimi. Itaque cum ea conditione nati sumus vt aliquid pati necesse sit, nec morborum vllus mundior, mitior, securior, facilior, animæ vires adeo augeat, mores exorinet, nullis commodis afficiat vitam aut dignitatem aut opes; propterea merito encomium illi diximus, debitaque ei laudes tribuimus. Quod si quis maleuolus calumniator obiciat quorsum hæc? laudate rem fœdam, abominandam, morbumque diuturnum atque

insanabilem? idque non nisi ostentanda sciendæ vel ingenij factum putet: quandoquidem non res vna sit podagra, nõ Deus, non naturale quidquam, sed è genere lesionum, dolorum, molestiarum, de quibus sane decipitur: quandoquidem licet accidens sit ac priuatio quædam, nihilominus res est, non simplex defectio, quæ cum homini aduenerit scire præstat bono potius fato quam malo aduentasse, optimumque esse in humanis his que nocere solent commodè vti scire, sicut pessimum his quæ bona sunt abuci. Est signum, est causa honorum multorum, atque si ab effectu & exitu res pensandæ sunt, talis vt comparem in humanis non habeat. Nam præter reliqua quæ iam dicta sunt quot casibus illa nos violentis eximit? Nuper apparuit in Andrea Dauria Genuensis Cæsareæ classis præfecto, quem cum per proditorem Io. Aloisius Illicus conuiuio exceptum occidere decreuisset, podagræ doloribus seuentibus ad conuiuium non accessit, inde imminentem cædem euasit. Quotquot annis superuixit, fuere autem circiter tredecim, beneficio podagræ debentur, tum gesta eo toto tempore. At quam multis aliis mortalibus salus fuit podagra, vt se ab insidiis atque imminentibus periculis tuerentur. Quot venena, cædes, & si nullum esset aliud malum, crapula, vitantur dum ad conuiuia non accedunt homines. Quin quot à malis nos illa auertit cædibus, iniuriis, insidiis, adulteriis, non solum quò ea detenti impediamur: sed quod ab huiusmodi cum sciamus perpetuo vigilandum & contentionibus incumbendum non audemus nos periculo committere, sed quiescimus, paremusque solum necessitati ac rationi, non perturbationibus à quibus fallimur, eumque sic nos auertat ac quasi mala dissuadeat non prohibeat, si necessitas incumbat, nec admodum resistit, nec si vis ei inferatur periculum affert, multi in incendiis distendi acerbissimus doloribus podagræ fuga tanquam sani essent se proripuerunt, nec Dauriæ prope octogenario nocte sub initio Ianuarij obfuit & equo fugam & colosse arripuisse; nec scio quenquam qui ob podagram ab hostibus oppressus; aut qui quod se è manibus eorum proripuerit incommodum passum. Itaque cum tam insignibus dotibus, atque exemplis, præsertim huius marini regis encomio podagræ finem faciamus. Neque curemus quod substantia non sit, nam substantiæ è diuinorum genere sunt, vt in Hyperchen ostendimus.

D I X I.

M N E M O